STEPHANUS dei gratia
REX Poloniae Magnus DUX Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kioviae, Livoniaeq; ac nec non Transylvaniae Princeps. SIgnificamus nostris hisce literis universis et singulis quorum interest. QUia nos pro ea cura quam de Civitatibus et Oppidis Regni nostri gerimus, proq; nostro in promovendis et augendis earundem Regni nostri Civitatum ac Oppidorum incrementis atq; commodis studio cupientes rationibus Oppidi Antiquae Sambor quod est in finibus Hungariae situm prospectum esse atq; statum et conditionem illius facere meliorem et ampliorem Forum in eo annuum seu nundinas ad priores quae istic haberi solent novas pro die festo sancti Matthaei Apostoli quod celebrari solet in Autumno adiungendas et instituendas atq; ordinandas esse duximus, instituimusq; et ordinamus, Citra tamen aliarum Civitatum et oppidorum in vicinia circumquaq; existentium praeiuditium et detrimentum, Ita quod omnes et singuli homines sexus utriusq; cuiuscumq; status et conditionis existentes ad hoc ipsum Oppidum Antiquae Sambor pro Nundinis praedictis confluere possint tempore praenominato causa emendi et vendendi, merces pro mercibus permutandi, et alia negotiationis genera exercendi, venientesq; in accedendo et redeundo nostra et successorum nostrorum securitate et libertate potiantur, nisi tales sint, quos leges fovere non permittunt, et quibus proborum hominum consortia merito sunt deneganda. QUoniam vero mercatus rerum quarumvis non alibi quam in Oppidis ac Civitatibus ex legum publicarum praescripto exerceri debeant, hoc autem Oppidum ex omnibus quae sunt in partibus illis ad fines Hungariae sit plane ultimum, Volumus igitur et Statuimus perpetuo observandum, ut non liceat cuiquam Ollas et alia fictilia vasa vendendi causa ultra Oppidum praedictum in montana quod abusu quodam fieri antea consueverat deducere, verum ut in eo ipso Oppido divendantur et distrahantur sub amissionis eorum poena, pro usu tamen proprio non autem ad divendendum si quis ducat id esse liberum cuiq; debet. In quorum omnium fidem ac testimonium evidentius hasce manu nostra subscripsimus, et Sigillo nostro communiri mandavimus. Datum Varsaviae in Conventu Regni nostri generali die Quindecima mensis Decembris Anno domini millesimo Quingentesimo Septuagesimo Nono, Regni vero nostri anno Quarto.

Stephanus Rex

Зносить ця на / пишеться так, що / то говорить ся відносно / послідне місто від / границі Угрів

STEPHANUS dei gratia
REX POloniae Magnus DUX Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masouiae, Samogitiae, Kiouiae, Liuoniaeq; ac
nec non Transyluaniae Princeps. SIgnificamus nostris hisce literis uniuersis et singulis quorum
interest. QUia nos pro ea cura quam de Ciuitatibus et Oppidis Regni nostri gerimus, proq; no-
stro in promouendis et augendis earundem Regni nostri Ciuitatum ac Oppidorum incrementis atq;
commodis studio cupientes rationibus Oppidi Antiquae Sambor quod est in finibus Hungariae
situm prospectum esse atq; statum et conditionem illius facere meliorem et ampliorem Forum
in eo annuum seu nundinas ad priores quae istic haberi solent nouas pro die festo sancti Ma-
thaei Apostoli quod celebrari solet in Autumno adiungendas et instituendas atq; ordinandas
esse duximus, instituimusq; et ordinamus, Citra tamen aliarum Ciuitatum et oppidorum in
vicinia circumquaq; existentium praeiuditium et detrimentum, Ita quod omnes et singuli ho-
mines sexus utriusq; cuiuscunq; status et conditionis existentes ad hoc ipsum Oppidum
Antiquae Sambor pro nundinis praedictis confluere possint tempore praenominato cau-
sa emendi et vendendi, merces pro mercibus permutandi, et alia negotiationis genera exer-
cendi; Venientesq; in accedendo et redeundo nostra et Successorum nostrorum Securitate
et libertate potiantur, nisi tales sint, quos leges fouere non permittunt, et quibus probo-
rum hominum consortia merito sunt deneganda. QUoniam vero mercatus rerum quarum-
uis non alibi quam in Oppidis ac Ciuitatibus ex legum publicarum praescripto exerceri debe-
ant, hoc autem Oppidum ex omnibus quae sunt in partibus illis ad fines Hungariae sit
plane ultimum, Volumus igitur et Statuimus perpetuo obseruandum, ut non liceat cui-
quam Ollas et alia fictilia vasa vendendi causa ultra Oppidum praedictum in montana
quod abusu quodam fieri antea consueuerat deducere, verum ut in eo ipso Oppido di-
uendantur et distrahantur sub amissionis eorum poena, pro usu tamen proprio non au-
tem ad diuendendum si quis ducat id esse liberum cuiq; debet. In quorum omnium fi-
dem ac testimonium euidentius hasce manu nostra subscripsimus et Sigillo nostro commu-
niri mandauimus. Datum Varsouiae in Conuentu Regni nostri generali die Quindecima

Зносить цла на [illegible] горшків [illegible] посаєдне місто від границі Угорщ

15/12 1579



1579.